

*Non possunt primi esse omnes omni tem-
pore.*

*Summum ad gradum cum claritatis ve-
neris,*

*Consistes agrè, & citius quàm descendes de-
cides.*

*Cecidi ego, cadet qui sequitur, Laus est
publica.*

PROVERBIA SINE AVCTORE.

Nunc quædam & sine auctore famo-
sissima, longo usu in prouerbium
versa, & velut omnium hominum appro-
bata consensu: Qualia sunt innumerabi-
lia, in sermone vulgari, quæ vel horrens
villicus, vel tremens anus, si enunciet in-
terdum, ut mirari nos cogat & subsistere,
& repetiti verbi laudare sententiam, acu-
men, ornatum, vim, sonum, magnificen-
tiam, breuitatem: Denique vel in silen-
tio fateri, nihil de tali re melius, nihil
verius, nihil sapientius, nihil elegantius
etiam, ab eruditissimis & disertissimis di-
ci posse. Nimirum à talibus, nec ab aliis,
à primordio dicta sunt, licet ea postmo-
dum, & spectata veritas, & memoriæ ami-
ca breuitas, in vulgus effuderunt, multa
quoque huius generis, passim per aucto-
rum libros offendimus, ex quibus ex-
empli